

094

092

098

ficia. Aedificant autem lapidibus luteis, non in cibano sed solum
ad solem decoctis, qui lateres, quam cito aqua profunden-
tur, mox resolventur; nam si contingere pluviam fieri super
Cairum ad duos continuos dies, sicut apud nos quandoque ad sex
durat, tota quodammodo civitas sicut cera liqueceret et fieret
cumulus simi et limi de domibus depictis et deauratis, demulis
moscheis et domibus regiis; caret enim regio illa lignis, ideo non
sunt ibi structurae (durantes) sed luteae, nisi templa et palatia.

Olim erant in illa urbe monstruosa aedificia pretiosissima, unde
tempore Augusti Caesaris Gallus poeta Foroliviensis, ibidem praetor,
ex hac urbe abstulit obeliscos tres admirandos, quorum unus
nunc in Vaticano ante templum divo Petro dicatum stat; alter in
Circo Maximo; alias in Campo Martio locatus est, ut habet Jacobus
Philippi in supp. Chronicorum sub temporibus... Imperatoris. Quod
autem superius dixi, hanc urbem majorem esse, quam aliquam
civitatem orbis, non negavi, quin possibile sit, adhuc majorem in
aliqua parte orbis esse, sed nobis non constat, nec aliquem vidi,
qui majorem viderit, nec de majore in perigrinalibus legi, nisi
in notula novae mappae mundi, quae supra Ptolemaeum multos
orbi adjicit gradus. Et de quadam Orientis insula refert maxima
Sypantya nomine, in qua dicunt urbem esse in triplo majorem
quam nostra Cahirus. Dicunt autem chiromantici, geometrae
(104 a) et mathematici nostri moderni, quod si illa Sypantya
insula est in mundo in ea regione alta, sicut praedicta mappa habet,
tunc necesse est ibi habitantes esse respectu nostri antipodes,
quos tamen Augustinus de Civitate Dei Lib. XVI. c. 9. omnino
negat esse in orbe, nec homines esse circumfusos orbi propter
oceani impedimenta, quod in oppositam partem navigari nequaquam
potest. De his vide in Spec. natur. L. VII. c. 10. Sed et frater
Odorius ordinis Minorum in suo narrorio de multis civitatibus
Orientis loquitur majoribus Cairo, praesertim de Kansy, quae
dicitur civitas coeli, ob sui ingredibilem magnitudinem, de qua
mira dicit et rationem excedentia.

De Sarracenorum sacerdotibus et eorum ecclesiis.

Muscheae multae valde sunt in hac urbe, sicut supra patet
folio praecedenti. Dicitur autem templum Machometi nunc com-

6 *